

tamquam infallibili fidei determinationi, vel non; si non; ergo non resolvitur certa, et firma determinatione fidei in iudicium privatum quantumcumque id conferat cum verbo Dei, de tali enim collatione, et iudicio loquimur. Si teneor; ergo si alter habeat contrarium iudicium privatum, et contrariam sententiam etiam illi tenebitur adherere infallibiliter, et consequenter jam fides est divisa. Quod si non tenetur; ergo jam ille contrarium sentiens debet recurrere ad alienum iudicium, et non ad proprium, ut verum sentiat. Quod si dicas, non debere recurrere ad iudicium proprium, sed examinare an id quod proponitur sit conforme ad Scripturam, et id tenebit quod iudicaverit illi esse conforme contra est, quia de eodem loco Scripturæ sunt diversæ intelligentiæ privatae, et aliter iudicat unus esse conforme Scripturæ quam alter; ergo non potest esse regula determinativa istorum dubiorum ipsa conformatio, seu collatio ad Scripturam, si quidem non est una pro omnibus, sed multiplex, et sic determinatio eorum, quæ credenda sunt, et fides circa ipsa non erit communis omnibus, nec una apud omnes, sed divisa secundum diversum examen, et intelligentiam Scripturæ, quam unusquisque habet.

XIII. Tertia probatio sic conformatur. Nam vel unusquisque obligatur credere omnia, quæ determinantur esse de fide, vel non; si non; ergo non omnia habent infallibilem auctoritatem, alias deberem iudicare illud esse verum, et consequenter credere. Et deinde quæ esset major ratio cur aliqua deberem credere, et non omnia, si æque haberent infallibilem auctoritatem? Si autem omnia teneor credere; ergo non solum ea quæ ego iudico esse vera, sed etiam illa quæ alter

iudicat, et quæ alter, et quæ omnes iudicant, si quidem sicut meum privatum iudicium determinat mihi res fidei, ita et aliis suum privatum iudicium determinat illis res fidei; ergo jam in aliquibus teneor sequi iudicium alienum, et non proprium, nempe id quod alter iudicat esse de fide, et non ego. Item teneor credere iudicia contraria, quia sæpe a diversis contraria sentiuntur, et iudicantur. Item non erit necesse probare spiritus, si quidem privatum cuiuscumque iudicium est regula credendorum; ergo cuiuscumque spiritus non erit amplius probandus; vel si probari potest cuiuscumque iudicium; ergo similiter et meum; ergo danda est aliqua regula probativa mei iudicii, et non in ipso est regula fidei. Si autem nullus spiritus probandus est, sed omnes credendi, obstat id quod dicitur i Joan. iv: *Charissimi nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sunt.* Denique si quis habeat iudicium circa aliquam propositionem fidei, ego non teneor eidem assentiri, nisi ego quoque examinavero, et iudicavero quod sit de fide: vel ego debeo iudicare idem quod alter iudicavit, vel possum aliter iudicare: si idem iudicare debeo: ergo nunquam erunt contrarii sensus, et determinationes privatae circa Scripturam, si quidem posita una teneor idem iudicare. Si autem id quod alter iudicat est infallibilis auctoritatis; ergo teneor iudicare idem quod ipse, nam si possum aliter iudicare, vel illud quod alter iudicavit non est infallibile, vel possum ego iudicare contra infallibilem veritatem, et contra fidem, quod est impossibile. Si autem teneor iudicare idem quod alter iudicat: ergo teneor sequi quodcumque iudicium alienum, et consequenter etiam tenebor sequi id quod iudicat papa,

et etiam contrarium ejus quod ego iudico, quando alter oppositum iudicavit.

XIV. Et deinde si posito iudicio alicujus circa unam propositionem teneor idem iudicare, ergo similiter posito iudicio papæ circa eandem propositionem tenebor idem iudicare quod papa, nec enim est major ratio cur teneor iudicare idem quod alter quilibet homo, et non similiter idem quod papa, et sic ruit fundamentum hæreticorum contra papam. Si vero possum aliter iudicare quam ille alter iudicavit; ergo id quod ille iudicavit non est de fide, si quidem adhuc ego oppositum sentire possum, contra fidem autem nemo potest sentire; ergo similiter neque id quod ego sentio, et iudico erit de fide certum, si quidem aliud poterit oppositum: sentire igitur positio illa de reductione rerum fidei ad privatum cuiuscumque iudicium est omnino involvens contradictoria, sed necessario standum est uni regulæ ut fides sit certa, et sit una.

XV. Quarta denique probatio deducitur ex ipsa antiquissima, et continuata Ecclesiæ consuetudine, quæ non aliunde melius firmari potest, quam ex tot Conciliorum celebratione per omnes ætates ad determinandas res fidei; frustra enim determinatio rerum fidei ad Concilia, et ad pontifices deferretur, si unusquisque id determinare posset per privatum iudicium, nec teneatur Ecclesiæ iudicium sequi. De celebratione autem Conciliorum ubi causæ istæ fidei ventilantur, et iudicantur cum assensu, et confirmatione pontificis constat ex tomis Conciliorum jam inde ab exordio Ecclesiæ per omnia sæcula usque ad nos continuatorum, quorum primum habetur Actorum xv, quando doctibus aliquibus circumcidi debere homines de necessitate salutis

convenerunt Apostoli, et seniores videre de verbo hoc, et tandem protulerunt sententiam obligatoriam fidelium dicendo: *Visum est Spiritui sancto, et nobis, nihil ultra imponere vobis oneris quam hæc necessaria, etc.* Ergo sine expectatione proprii, et privati cuiuscumque iudicii potest Ecclesia, aut pontifex determinare ea quæ tenenda, et credenda sunt, obligando ut alii acceptent, sicut tunc Ecclesia obligavit. Quod et deinceps fecit Ecclesia damnando hæreses, et errores contra fidem in Conciliis, quæ toties usque ad hæc tempora celebrata sunt, quæ non est necesse enumerare, et in tomis Conciliorum videri possunt, unde in canonibus Apostolorum canone xxxviii, præcipitur ut his in anno episcoporum Concilia celebrentur ut inter se invicem dogmata pietatis explorent, et emergentes ecclesiasticas contentiones amoveant, qui canon est ex his, qui sine controversia pro authenticis recipiuntur etiam apud antiquos, ut colligitur ex capite Sancta Romana, distinctione xv; et in Synodo Antiochena capite vigesimo tertio, præcipitur quod in singulis provinciis bis quolibet anno Concilia habeantur, et in Synodo Nicæna canone v: « Visum est bene habere ut per unamquamque provinciam in singulis annis Concilia celebrentur, et idem in Concilio Carthaginiensi iii, cap. ii, et ante ista Concilia dixit egregie Tertullianus libro de jejuniis contra Psychicos capite decimo tertio: « Aguntur præcepta per Græcias illas certis in locis Concilia ex universis Ecclesiis, per quæ et altiora quæquæ in commune tractantur, et ipsa representatio totius nominis Christi magna veneratione celebratur. »

XVI. Præter Conciliorum autem tam frequentem celebrationem, quæ est evidens signum iudicii Ecclesiæ

in causis fidei, et extat etiam sanctorum patrum traditio, quæ constanter ad Ecclesiæ iudicium, non ad privatum eujuscumque spiritum fidei regulam reduxit. Sanctus Clemens epist. v sic ait: « Diligenter observandum est, ut lex Dei cum legitur non secundum propriam ingenii intelligentiam legatur, vel doceatur, sunt enim plura verba in Scripturis divinis, quæ possunt trahi ad eum sensum, quem sibi unusquisque sponte præsumpsit, sed fieri non oportet et ideo oportet ab eo intelligentiam discere Scripturarum, qui eam a majoribus secundum veritatem sibi traditam servavit, ut et ipse possit ea quæ recte suscepit competenter asserere. » S. Irenæus iv libro contra hæreticos, capite xxv: « Ubi charismata Domini posita sunt ibi oportet discere veritatem apud quos est ea quæ ab Apostolis Ecclesiæ successio, et id quod est sanum et irreprobabile conversationis in adulteratum, divi incorruptibile sermonis constat, hi enim et fidem nostram custodiunt, et Scripturas sine periculo nobis exponunt. » S. Cyrillus in libris thesauri quem citat S. Thomas opusculo primo de erroribus Græcorum: « Debemus nos capiti nostro Romano pontifici adhærere: ad omnes pertinet ab eo quod credendum, ac tenendum sit accipere. » S. Ambrosius epistola xxxii ad imperatorem Valentinianum: « Quis est qui abnuat in causa fidei episcopos solere de imperatoribus Christianis (id est, de fide eorum) non imperatores de episcopis iudicare? » Et infra: « Si conferendum de fide sacerdotum debet esse ista collatio. » S. Hieronymus adversus Luciferianos: « Si non sit in Ecclesia una eminens potestas, tot futura sunt schismata, quot sacerdotes. » S. Augustinus tract. xviii in Joannem: « Neque enim natæ sunt hæreses, et quædam

dogmata per universitatis illaqueantia animas, et in profundum præcipitania nisi dum Scripturæ bonæ intelliguntur non bene, et quod in eis non bene intelligitur etiam et audacter asseritur: » et libro i contra Cresconium grammaticum, cap. xxxiii, tomo vii: » Ecclesiam, inquit, ipsarum Scripturarum commendat auctoritas, ut quoniam sancta Scriptura fallere non potest, quisquis falli metuit hujus obscuritate quæstionis eamdem Ecclesiam de illa consulat, quam sine ulla ambiguitate sancta Scriptura demonstrat: » et lib. xi contra Faustum, capite secundo loquens de veritate librorum seu exemplarium, quæ proferri possent a Fausto contra ipsum: « Videas in hac re quid Ecclesiæ catholicæ valeat auctoritas quæ ab ipsis fundatissimis sedibus Apostolorum usque ad hodiernum diem succedentium sibi met episcoporum serie, et tot populorum consensione firmatur: » et lib. xiii, cap. xviii: « Si alios quos dicat Apostolorum nostrorum codices protulerit, quomodo eis ipse auctoritatem dabit, quam per Ecclesias Christi ab ipsis Apostolis constitutas non accepit, ut inde ad posteros firmata commendatione transcurreret? » Theodoretus in epistola ad Leonem pontificem: « Si Paulus prædicator veritatis ad Petrum accurrit, ut his qui Antiochiæ de vivendo secundum legem Moysis disceptabant quæstionem expeditam, et solutam ab eo auferret, multo magis nos qui pusilli sumus ad solium apostolicum accurremus, ut a vobis medicinam ulceribus nostris feramus, si quidem vobis convenit in omnibus sententiam tenere. » Ac denique Bernardus epistola cxc ad Innocentium: « Oportet, inquit, ad vestrum referri apostolatam pericula quæque et scandala emergentia in regno Dei, ea præsertim quæ de fide

contingunt, dignum namque arbitros ibi potissimum resarciri damna fidei, ubi non posset fides sentire defectum. » Denique ex pluribus summorum pontificum epistolis constat graviores causas ab apostolica sede terminandas esse, de quibus, sicut de aliis auctoritatibus, quæ specialiter loquuntur de pontifice in sequentibus articulis dicemus.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XVII. Arguitur primo, contra nostram resolutionem: Non minus fuit requisita fides tempore legis scriptæ, et legis naturæ quam modo, cum sine fide impossibile sit placere Deo, ad Hebræos xi; ergo non minus fuit requisita regula fidei ad proponendum ea, quæ credenda sunt modo quam antea; sed hoc non obstante toto tempore legis veteris non fuit aliquis papa ad quem pertineret determinare res fidei, nec talis potestas ex tota Scriptura veteris testamenti colligitur, ergo etiam ad fidem quæ modo non est necessaria talis potestas circa certitudinem eorum quæ credenda sunt. Si dicas fuisse in lege veteri prophetas, qui proponebant ea quæ revelabat Deus contra est, quia inter prophetas etiam multi erant falsi, de quorum auctoritate dubitabatur, juxta illud Thren. ii: *Prophetæ tui viderunt tibi falsa, et stulta*: et Ezech. xxxii: *Prophetæ ejus linebant eos absque temperamento, videntes vana, et divinites eis mendacium*: et iii Reg. xxii narratur historia de quadragintis prophetis, qui mendacium prophetabant; igitur non potest assumi pro regula infallibili dictum prophetæ, si quidem adhuc restabat judicandum an esset verus, vel falsus propheta. Nec etiam ad summum sacerdotem pertinebat hæc determinatio rerum fidei; tum, quia nulli-

bi in Scriptura assignatur ei talis potestas aut confirmatio aliorum in fide, cum tamen omnia pontificis munera numerentur, Exod. xxviii et xxix, et aliis in locis; tum etiam, quia Aaron ipse primus pontifex erravit in multis, ut proponendo populo vitulum quem adoraret pro Deo, Exod. xxxii. Item loquendo contra Moysen Num. xii et Num. xxiii, dicitur Moysi et Aaron: *Quia non credidistis mihi, non introducetis hos populos, etc.* Item Salomon ejecit Abiathar sacerdotem ut non esset sacerdos Domini iii Reg. ii: ergo non firma erat et infallibilis eorum auctoritas ad non errandum.

XVIII. Respondetur negando, non fuisse in lege antiqua visibilem regulam fidei ad proponendum infallibiliter ea quæ credenda essent, et determinandum dubia, quæ circa res fidei orirentur. Et quidem cum constet plurimos tunc fuisse prophetas quorum multi falsi erant, ut inter arguendum probatur necessarium erat discernere quisnam esset verus propheta, et quis falsus, et consequenter ad hoc erat necessarium aliquod iudicium superius ad privata iudicia talium prophetarum. Unde Deuteronomii xiii præcipitur ut propheta quantumvis signa, et portenta fecerit, si contra doctrinam legis docuerit interficiatur, et idem præcipitur capite xviii, et ponitur signum quo intelligere possent prophetam non esse verum, scilicet: *Si non ita everserit sicut locutus est.* Hinc est quod ut erudite notat cardinalis Baronius anno Christi 31, capite vi, apud Judæos fuit collegium seniorum originem trahens ex illis, septuaginta duobus, quos elegit Moyses Numer. xi, ut essent magistri populi, et in concilio tractabantur de lege, de propheta, de regibus, et supremis causis illius reipublicæ et primus inter seniores illius concilii vocabatur princeps sacerdotum; et

de hoc concilio videtur loqui Scriptura, 1 Paralip. xxvi, cum dicit: *Quod ad austrum domus erat seniorum concilium*. Et hinc est quod cum dubitaretur in populo de Joanne an ipse esset Christus, miserunt ad eum sacerdotes et levitas ut interrogarent eum: Tu quis es? Quia videlicet ad hoc sacerdotum concilium a quo legatio missa fuit pertinebat cognoscere de vero propheta. Ea etiam causa fuit quod Christus quando comprehensus fuit, ut habetur Joannis xviii, prius ductus est ad Annam principem sacerdotum, quam ad Caipham, quia erat Annas primus illius collegii seniorum ad quem spectabat de vero propheta cognoscere, propter quam causam Christus Dominus tunc causam dicebat. Denique Actorum iv, cum congregaretur concilium ad cognoscendum de doctrina Apostolorum nominatur primo loco Annas princeps sacerdotum, deinde Caiphæ, etc. quia videlicet in illo concilio ubi de veritate doctrinæ agebatur præsidebat illius collegii superior qui erat Annas. Sic ergo in lege antiqua constat fuisse concilium et judicem ad quem pertineret cognoscere de lege, et veritate doctrinæ et de propheta, an esset verus vel falsus.

XIX. Quod etiam constat ex loco supra allegato II Paralipom. xix: *Ubicumque quæstio est de lege de mandato ostendite eis, etc.* Quod vero iudices illi qui ibi præerant cum docerent ex cathedra infallibiliter docerent, patet; tum ex eo quod dicitur Deuterom. xvii: *Qui superbi-erit nolens obedire sacerdotis imperio morte morietur*: erat ergo irrefragabilis auctoritas illius iudicii: et iterum Matth. xxiii: *Super cathedram Moysi sederunt scribæ, et Pharisei, omnia ergo quæcumque dixerint vobis vos facite, etc.* ergo omnibus quæ ex cathedra docerentur credere tenebantur homines. Ac denique quod

assistentiam haberent ad non errandum, non obscure colligitur ex illo Joanni undecimo, ubi loquendo de concilio congregato a Caipha, et sententia ab eo prolata dicitur: *Hoc autem a semetipso non dixit, sed cum esset pontifex anni illius prophetavit*. Ubi pondero illam causalem non esset pontifex prophetavit, quod certe non diceretur si officio pontificis non esset adjuncta auctoritas non errandi. Plura de hoc Judæorum concilio legi possunt apud Abulensem, I Paralip. xxvi, quæst. xxvi; Philonem in libro de temporibus.

XX. Ad id autem quod instatur de Aaron, qui proposuit toti populo vitulum adorandum, respondetur nos non excusare Aaron a peccato, (ut quidam voluerunt, quos refutat Abulensis super caput xxxii Exodi, quæst. xxxiii) neque veritati consonum existimamus id quod aliqui ex Rabbinis asseruerunt, scilicet Aaron non fecisse vitulum illum, sed projecto auro in ignem opera dæmonis subito vitulum illum erupisse; hoc enim jure damnat communis interpretum sententia; Abulensis, Cajetanus, Hugo, Oleaster, Lyra, et alii, cum in ipso textu dicatur quod Aaron fecit vitulum opere fusorio, artificiose scilicet operando. Quod autem postea excusando se apud Moysem dixerit: *Projeci aurum in ignem, egressusque est hic vitulus*, non negavit artificiosam vituli operationem, sed ut ait Augustinus quæst. cxlv in Exodo: *Compendio locutus est, non dicens quod ipse formaverit, ut egrederetur vitulus fusilis*. Peccavit ergo Aaron sicut aperte significatur, aut potius supponitur in Scriptura Deuteronomii ix: *Adversum Aaron quoque vehementer iratus voluit eum contere Deo*. Cæterum peccatum ejus aliqua ex parte diminuunt Augustinus quæst. cxli, in Exodo, et Theodoretus quæst. lxvi, et Abulensis quæst. xxxv, censet ip-

sum non peccasse peccato infidelitatis, nec secundum fidem interiorum, quia non credidit illum vitulum esse Deum, nec proponendo eis, nec declarando illum esse Deum, sed tantum non compescendo populum in peccato illo, aut etiam adjuvando opus vituli ex nimio timore, ne ipsum occiderent. Unde dicit Augustinus xiv de civitate, cap. xi: « Aaron erranti populo ad idolum fabricandum non consensit inductus, sed cessit obstrictus. » Et pulchre Oleaster super caput xxxii Exodi, comparat peccatum Aaron peccato Petri quando negavit Christum ex timore, licet uterque esset pontifex, ille veteris, hic novi testamenti; et sicut narratur de Marcelino papa, quod adolevit incensum idolo (si tamen vera est illa historia) sine detrimento aliquo auctoritatis apostolicæ sedis. Denique quantumvis Aaron esset pontifex, tamen pro tunc non pertinebat ad illum decidere, et determinare causas legis, aut proponere legem populo, sed Moysi, qui erat supremus legislator a Deo institutus, et ideo licet persona Aaron errasset, sicut et persona pontificis errare potest, tamen officium, et auctoritas ad proponendam fidem, et ejus dubia determinanda mansit sine errore in Moyse, ad quem causæ istæ referebantur, non ad Aaron, ut habetur Exodi xviii. Aaron vero illis diebus mansit quasi vicarius Moysi ut notarunt Dionysius Carthusianus, Abulensis, et Hugo cardinalis super caput xxxii Exodi Quod vero Aaron murmura-verit contra Moysem non est peccatum erroris in proponenda fide, sed peccatum murmurationis. Quod etiam dicitur: *Non credidisti Deo Num. xx* respondetur, quod illud non credere, aut fuit actus infidelitatis personalis, non officii, nec enim proponendo fidem populo; sed verbis ambiguus loquendo, unde et

occulte in animo ejus lateret illa dubitatio nisi ex Domini sententia proderetur, ut ait Augustinus libro quarto quæstionum super Numerum, quæstione xix, aut fuit actus diffidentiae in Deum, potius quam infidelitatis, ut notavit Cajetanus super caput xx Numerorum.

XXI. Arguitur secundo: Nam aliqua sunt quæ credere debemus sine aliqua regula proponente, et auctoritate regulante; ergo simpliciter non est necessaria etiam quoad nos illa auctoritas proponens ad firmandas res fidei. Antecedens probatur, nam hoc ipsum quod est talem hominem, scilicet summum pontificem proponere, et vere definire res fidei, et habere ad id supremam potestatem debet a nobis credi, alias si id non creditur nutat omnis certitudo circa res ipsas propositas; si autem creditur, ergo vel indiget quod id proponatur aliqua alia regula, vel non; si primum erit processus in infinitum, nam de alia regula interrogabo quomodo certum sit quod ipsa definit, ac certo proponit in particulari; si autem sine regula proponente creditur; ergo ruit totum fundamentum positum, nam sicut hoc creditur absque regula aliqua proponente, etiam et alia, imo omnia credi possunt. Si dicas, quod ipsemet proponens, qui est summus pontifex est regula sui ipsius, et cæterorum, et proponit suam auctoritatem ut credendam, et se esse pontificem contra est, quia ipse non potest esse regula certa respectu sui ipsius; si enim de hoc volumus certificari an ipse sit regula quomodo per ipsummet certificabimur, de qua querimus, oportet enim nos regulari, et certificari per aliquid certius, et non per id de quo dubitatur, id enim esset petere principium. Quod si dicas, constare ipsum esse pontificem, vel ex eo quod videmus esse rite electum, vel ex acceptatio-